

CXCVII.

Anno 1618. 15—25. Maji. Posonii.

Litterarum assecuratoriarum Ferdinandi II. Regis Regno
Slavoniae seorsim data authentica paria.

Nos Comes Sigismundus Forgach de Ghymes, Regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum, nec non Comitatum Neogradiensis, Saarosiensis et de Zabolch Comes ac Sacratissimi Principis Domini Domini Mathiae, Dei Gratia electi Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae &c. Intimus Consiliarius et per Hungariam Locumtenens. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit vniversis: Quod cum Sacratissima Caesarea Regiaque Maiestas Dominus noster Clementissimus vniversis fidelibus Statibus et Ordinibus Regni sui Hungariae pro tractandis et concludendis publicis Regni negotiis, tranquillum statum et securam permansionem concernentibus, Generalem Diaetam ad hanc Civitatem Regiam ac liberam Posoniensem ad Dominicam Inuocauit proxime praeteritam promulgare clementer dignata fuisset, ac pro innata pia et paterna erga Regnum hoc affectione et sollicita cura primo et ante omnia de futuro Rege et successore eligendo cum eisdem fidelibus suis Statibus et Ordinibus Regni tractare et concludere statuisset, in eoque Status et Ordines benigne requisuisset: Ad quam Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis benignam requisitionem iidem Status et Ordines matura consilii deliberatione praehabita post longos tractatus in Serenissimum Principem Ferdinandum secundum, Dei Gratia Regem Bohemiae, Archiducem Austriae, Ducem Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae et Wirtembergae, Marchionem Moraviae, Comitem Habsburgi et Tyrolis, Dominum itidem nostrum Clementissimum vnanimiter consensissent. Priusquam tamen Status et Ordines de vetusta lege et longa serie obseruata hactenus consuetudine eundem Dominum Regem Bohemiae in Dominum et Regem eorum liberis et communibus votis ellegissent, declarassent et pronunciassent, eidem Domino Regi Articulos subinsertos acceptandos, confirmandos, ac per eundem Dominum Regem suo tempore regiminis firmiter et inuiolabiliter obseruandos demisse porrexissent. Quorum humilibus postulatis eadem Maiestas Regia benigne admissis, dictos articulos, omniaque et singula in eis contenta acceptare, confirmare et litteris quoque suis superinde Assecuatoriis, Sigillo et manus propriae subscriptione roborare, et tandem eisdem Dominis vniversis Statibus et Ordinibus Regni extradare clementer dignata est. Quibus extradatis, et manibus nostris assignatis, postularunt iidem Status et Ordines, quatenus copiam seu paria earundem sub sigillo nostro authentico in Transumpto litterarum nostrarum eisdem extradaremus. Quarum quidem litterarum assecuatoriarum tenor talis est: Nos Ferdinandus, Dei Gratia Rex Bohemiae, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae et Wirtembergae, Mar-